Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1555
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

abscondita et hostia per que ingrediebantur et consumebant que erant
super mensam. Occidit ergo illos rex et bel tradidit in potestatem danielis
qui subvertit eum et templum eius. Et erat draco magnus in illo loco
et colebant eum babilonii. Et dixit rex danieli. Ecce nunc
non potest dicere quod iste non sit deus vivens adora ergo eum. Dixitque
daniel dominum deum meum adoro quia ipse est deus vivens iste non est deus vi
vens. Tu autem rex da mihi potestatem et interficiam draconem absque gla
dio et fuste. Et ait rex do tibi. Tulit ergo daniel picem et adipem et pilos et co
xit pariter fecitque massas et dedit in os draconis et diruptus est
draco et dixit. Ecce quem colebatis. Quod cum audissent babilonii in
dignati sunt vehementer et congregati sunt adversus regem et dixerunt.
Iudeus est rex factus bel destruxit et draconem interfecit et sacerdotes
occidit et dixerunt cum venissent ad regem. Trade nobis danielem qui
bel destruxit alioquin interficiemus te et domum tuam. Vidit ergo
rex quod irruerent in eum vehementer et necessitate compulsus tra
didit eis danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum. Et erat
ibi .vi. diebus. Porro in lacu erant leones .vii. et dabantur eis duo
corpora cotidie et due oves. Et tunc non data sunt eis ut devorarent
danielem. Erat autem abachuc propheta in iudea et ipse coxerat pulmen
tum et intriverat panes in alveolo et ibat in campum ut ferret mes
soribus. Dixitque angelus domini ad abachuc fer prandium quod
habes in babilonem danieli qui est in lacu leonum. Et dixit aba
chuc. Domine babilonem non vidi et lacum. Et apprehendit eum
angelus domini in verticem eius et portavit eum capillo capitis sui.
Posuitque eum in babilone super lacum in impetu spiritus sancti. Et cla